1573

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ;

OB FAVSTVM.

FORTVNATVMQVE

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI PATRIS AC DOMINI D. LAVRENTII GEMBICKI DEI GRAtia Episcopi Cuiauiensis, Regniq; Poloniæ Cancellarij &c. &c.

E. Culmensi sede, ad Cuiauiensem Aduentum.

QVOD.

Stanislaus Slavvienski, Collegij Posnaniensis, Societatis Iesu, eloquentiæ Studiosus, panxit.

Posnaniæ In Officina Ioannis Wolrabi.
Anno. D. M. DCX.

R. Adm. Martini Kalerski. Stanislay Stansk

IN STEMMA EIVSDEM.



DVm comples orbẽ, dum seruas fascia nodum,
Seruat Gembicij robur, auita domus.
Sed non Gembiciæ, sunt hæc tantùm omina gentis,
Stemmate in hoc, patriæ nam simul omen inest.
Vt teneas orbem, serues vt fascia nodum,
Et gens vota facit Gembicia, & Patria.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO D. LAVRENTIO GEMBICKI DEI GRATIA Episcopo Cuiauiensi Regniq; Poloniæ Cancellario,

Salutem & Felicitatem.

INter tot & tanta gratulationũ symbola, quæ tibi ad amplius Ecclesiastici, senatorijq; muneris fastigiũ euecto, & nunc maxima celebritate illud adeunti præstantur Antistes Reuerendissime, venit mihi in mentem subuereri, ne cuipiam fortè cramben (vt aiunt) recoquere videar, cum hanc quantulamcunq; operam tui cohonestandi gratia (in quo vt felicius alij, at non plus, opinor quam ego laborarunt) suscipiam. Sed quocunq; modo eam pendant alij non moror, dummodo ti Præsul Illustrissime eam vel extremam tuis honori

bus apponas, ad votum mihi omnia fluxisse arbitrabor. Metra paucula ut vides, quæ mihi ætatis meæ facultas, & exercitatio suppeditauit, tibi offerenda censui, neq; in tanta omnium, ad te sua studia deferre volentiũ concertatione, solus nihil agere, animũ induxi, Acceptabis, vt spero, id meum de te bene merendi studium, qui suo quamq; rem momento ponderas, acceptabis inquam, si vnde proficiscatur attendas. E Lycæo prodijt, vbi virtute & litteris percultus animi tui ager, sementem à natura insitam, locupleti provt cernimus fænore, nunc refundit. A cliente tuo, & sanguine tibi iuncto, vt proinde eo potissimûm nomine, hanc qualemcunq; de tuo aduentu, ad Cuiauiensem Episcopatum, lætitiæ significationem, acceptam tibi esse, præteferre debeas. Ni mirum quantũ prosapia Slauiensciorum, cuius ego pars sum minima, tibi obstricta sit, vel inde potes cognoscere. quod sibi ẽ tuis honoribus, quibus tu in septentrionali plaga, ceu illustre quoddam sydus emicas, plurimum splendoris accesisse summopere gratulatur. Itaq; quicquid à me ad te ornandum

profectum est, id meæ inprimis erga te obseruantiæ, & grati animi testificationi, velim tribuas. Cæterũ transmissos ad te, vicario munere gratulationis nouæ plaus' excipe, & qua soles vult' hilaritate, absentis licet officiosam voluntatem comproba. Neq; enim mihi te coram adeundi, studiorum meorum ratio copiam præbuit, quorum vel exigua iactura (vt ipse optimè nosti) multum studiosæ iuuentuti afferre solet nocumenti. Quod reliquum est, adi superis fauentibus, honorem hunc amplissimum, & iam ad clauum manum porrige. Ibis dehinc doctrinæ, & virtutis adiutus subsidio, Antistes optime, in celebritatem nominis, in memoriam literarum, in posteritatis exemplum, in venerationem tui. Ego verò cæteriq; tuæ incolumitati addicti, vota faciemus, vt quem bono auspicio, cursum honoris ingressus es, olim superis propitijs constanter teneas, atq; in matura gloriæ felicitate, patriæq; vtilitate, longæu' Hierarcha Gembicki consenescas.

STANISLAVS SLAWIENSKI.

PROPEMPTICON

NOn ſola à lituis quæ ſurgit laurea digna eſt
Lambere, vel marmor Parium, aut trans vltima Bactra
Audiri, cunctas lateque ſonare per oras,
Eſt etiam togæ honos rebus preciumq́, quietis.
Et tibi poſt cineres reſtat diuturnius æuum,
Famaque non abolenda rogo, quæque exeat vrna
Et tandem Oceanum ſuperans totum impleat orbem
Gembici, quid enim geſtis præſtantius iſtis.
Siue tuæ repetam primæ incunabula vitæ,
Seu matura daret cum iam ſe gloria rebus,
Seu poſtquam partitus onus curaſque Senatus
Tecum, ſuſpexit facundi pectoris artes,
Ingenii admirans dotes curaſque ſeniles
Ante annos, ſolidoque incoctum pectus honeſto.
Ipſe ſuas puero Phæbus conceſserat artes,
Inſeruitque choris, fuditque per ora liquorem
Caſtalium, fauſtis iuuenem votiſque ſecutus,
Non tibi ne trepida per Martem fama petenda
Phæbus ait, vita ò longè Mauortia bella
Iurgia non rabioſa fori cum lite ferenda.
Ipſe ego te noſtris admitto receſsibus, inde
Tu meus ardor eris, fontes & amæna vireta
Rite coles, Chorus en te etiam accipit ille Dearum.
Dixerat, At ramum lauri Pimplæa virẽtis
(Nam fortè his aderat) de fontibus Hyppocrenes
Vt tinxit, virgâ iuuenis ſumma attigit ora,

Atriſere

Arriſere aliæ: ſummo ergo candida Pindo
Serta tulêre ſua, atque Chelym ſuſpendit eburnam
Melpomene, parilem. Charites plauſumque dedĕre,
Tu medius iam ingens iam plenus Apolline Sacro,
Pectora mulcebas cantu fidibuſque canoris,
Audiuere Deæ, numeroſque corona probauit
Hæc olim. At grauibus poſthæc maturior annis,
Queis mentem imbueras; cauto quæ induſtria felix
Inſtrumenta tibi virtutis magna pararat,
Prompſiſti, non quas tantum facundia dulcis
Per varias Ciceronis opes tibi ſtruxerat olim
Diuitias pandens, ſed queis ſapientia cautam
Ditarat mentem, pectuſque armauerat ingens,
Eloquio quoties mulcentis pectora dulci
Cana Senatorum pendebat ab ore corona,
Dum pacis placidæ moderator legibus arma
Cædere ſæua facis, ruptum & componere fædus,
Nutanteſque animo patres non cedere duris.
Contra dum ſcelus omne iubes, aut lege recidi,
Aut iuſto exitio, dum irato grandia verba
Tuta volant, quanquam ſedandis fluctibus iræ
Aptior, atque modum ſtudiis imponere patrum,
Tunc animi ſeſe exeruit per mitia verba,
Et decus & cultæ virtus pulcherrima mentis,
Cum flueret dulce eloquium, vt ſedatior amnis
Turbatoſque animos regeret variumque frementes,
Nunc vltra ripas extra littuſque redundans
Volueret ingentes fluctus, queis cedere ſaxa

Immanesque sua rupes statione moueri
Cogeret, & late stirpes super arua natare.
Scilicet hoc trabeas, longè partosque triumphos
Anteit, & laurum cogit concedere oliuæ,
Tranquillare animos, cæcum prohibere furorem,
Citra aciem in fædus discordes ducere ciues,
Legibus vt sit honos, æquo reuerentia iuri,
Vt sua quisque colat sine rixa iura quietus,
Nec volitet toto væsana licentia regno
Efficere, hoc opus est Diuûm sic vixerat ætas
Prisca senum, cum ver sine semine flores
Mulceret natos, cum ignotus vomeris vsus
Non terram immanes sulcos perferre iubebat;
Tu quoque sic veterum accumulans decora alta parentum
Illis adscribi numerumque explere mereris
Heroum, quos sancta piis vita intulit aruis.
Sed perge interea & submissis Cymbula velis
Ne tua prospectet portum, tibi quæ mora longa est,
Parua tuis, parua & patribus, patriæque saluti.
En etiam ad maiora vocat fastigia virtus
Insignem meritis, mitram tibi Episcopa tendit
Cuiauiæ, clarisque vocant ad culmina votis
Et plebs, & sacer ordo patrum, turmæque potentum.
Digne solum qui Sarmaticum virtutibus ornes,
Et qui Pstrokonio dignus successeris Heros,
Pstrokonio propius quem Astræa admouit ad astra,
Dum curæ exortem melioribus inserit aruis.
Tu quoque non leuiter tanti vestigia patris

Sacra

Sacra premes, paribuſque armis tutabere caulas
Cuiauiæ, longèque lupos arcebis ouili
Cui te nunc longo limatum tradit in vſu
Culma, caput cælo quæ te duce ſuſtulit olim;
Quæ necdum abſterſo ſibi reddita tota dolore eſt.
Nam ſæpe in noctem has fudit miſeranda querelas
Illa ego par ſuperis, quondam cuſtodia fælix
Quam tanti ducis à ſæuo defenderat hoſte
Culma inter rabiemque canum, morſuſque luporum
Deſeror, en fortuna meos fruſtrata labores
Hinc fugit, atque alibi tentoria figere gaudet,
Ille meis iungens noua propugnacula caulis
Securas noctes præbebat, & otia tuta,
Paſcua quando gregi deerant viridantia noſtro?
Quando ſiti arentes ſenſit ſine flumine fauces?
Frigoribuſque grauem brumam morbiſque Nouembres,
Ipſe greges vigil ad flumen ducebat inertes,
Ipſe pedo reuocans ſi quo pecora auia abirent.
Sed ſiue inuidiæ hoc opus eſt, ſeu præmia virtus
Poſcebat maiora nefas perrumpere fata,
Iamque vale. O decus, O rerum ſpes ſumma mearum
Gembici, grauiora Deus virtuſque parauit.
Perge modò, & fælix ſummo caput inſere cælo,
Tantis te Præſul votis tua Culma ſecuta eſt.
Dum Wladislauiam properares lætus ad vrbem,
Et nunc gratantum turmas atque agmina cerne
Obuia, quæ totis funduntur læta plateis.
Ipſe nouis quiddam inſolitum pater æſtuat vndis

Vistula dilatatque sinus. teque optime Præsul
Ominibus sequitur faustis, sub iuraque mittit
Se tua, iam tumidis maior iamque auctior vndis,
At tu quem meritis clarum ad fastigia virtus,
Et fortuna comes rapit, illos indue tandem,
Te dignos animos & vota probato precantum.

ODE. I.

NOn gestientis gaudia pectoris,
Iunctus recondam sanguine Præsuli
Gembicio, fas est sonoris
Plectra mouete lyris Camęnæ.
Musis amicus fulget honoribus
Nouis, honestat nobilior caput
Tiara, quam matura virtus
Relligioque dedit probata.
Sepone questus, nec superos prece
Cuiaua tellus assidua super
Pstrokonscij letho fatiga,
Præsule sume nouo priores
Vultus: reuecta est prosperior dies,
Benigniori sydera lumine
Micant, secundis ille partos
Auspicijs titulos capessit.
Sperare faustos iam potes exitus
Custode tanto, non Lemurum cohors
Phlægręa sacrato nocebit
(Huius ad excubias) ouili.

Pressum

Presſum reducet priſca fides caput,
Non abſque læta fronte, Erebi ſpecu
Condetur atro dogma prauum
Hęreſeos superûm fauore.
Creſcet lycæis Pieridûm nitor
Antiquus illo ſoſpite, proſperum
Gembicius traducat æuum
Pontificum ſolio decoru‾.

ODE II.

QVem digna ſummis principibus virum
Pædia format, non ſuper ardua
(Virtute cum ſurgunt) honoris,
Culmina ſcandere pertimeſcit.
Periculoſæ nec tamen alea
Sortis pauentem ſollicitat, neque
Rhamnuſidis temone dextro
Turgidus alta animo volutat.
Sume ampliorem munere cælitûm
Præſul tiaram Sauromatûm decus.
Aſtræa quam penſat bilance
Pro meritis cape dignitatem.
Non expetitus cui popularium
Honos moleſto prouenit ambitu,
Ventura præcelſo locatus
Tramite deſpiciet pericla.

Vltro sequuntur te noua præmia
Gembici honorum, conspicuas licet
Circo exedras vnquam potentum
Haud animus fuit aucupari.
Inter virentes cedrus vt altior
Clarescit ornos: sic animi tuæ
Dotes nitescunt, visque raris
Ingenii cumulata donis.
Mens & supernis, eloquio inclytum
Vix consulari cedere Tullio
Te lecta miratur Senatus
Climate Sarmatico corona.
Pennata latè gloria nominis
Tui efferetur Lechiadûm solo
Ad magna natum te stupebit
Hesperiæ dominator oræ.

VATICINIVM POSNANIÆ GEMbicium aliquando maximis in Republica Polona officiis functurum.

INtentum studiis cum populi ferax
Te Posna aspiceret, gloria Præsulum
Gembici, subitò nesciò de tua
Quid conceperat indole.
AEtatis teneræ candor, & optima
Virtutis soboles integritas, dabat
Illi spem, titulis Præsuleis virum
Olim te fore nobilem.

Dum

Dum claris habile est ingenium artibus,
Musis inuigila, nec studio graui
Antestare aliis te pigeat (loqui
Hæc tibi solitam reor)
Præcelsis statuit rector honoribus
Exornare poli te superis parem,
Fælici vt populos imperio regas
Christi præsidiis potens.
Quantum Lechiaco proueniet solo,
Quo tu insignis eris munere commodi?
Sed præclara prius signa reconditæ
Monstrabis sapientiæ.
Ingens eloquii Romulei decus
Agnoscet grauium curia principum,
Regnique officiis grandibus eximi
Te signabit idoneum.
Dum Culmense solum percolis impiger,
Dicendi eximius iuris honos pedo
Nexus Præsuleo, sat celebrem plagis
Te reddet Latialibus.
His maiora parat Rex Superûm dare
Post certas hyemes, mytra caput sacrum
(Ni vitæ inuideat Parca ferox tuæ)
Longè augustior ambiet.

PROTREPTICON.

Culmensis Sedis ad VVladislauiensem.

NOn vſitatis Præſulem tripudijs
Cuiaua tellus excipe,
Nouum tuas ingreditur ædes alite
Fauſto, mei caput gregis,
Tutatus agnos hic meos caulis lupos
Ferocientes arcuit.
Pecora albus deerant nec aruis paſcua,
Ouile paſtor rexerat.
Vigili Pedo. Iunonius cuſtos ita
Non creditum munus ſibi
Cuſtodijt, licet micarint illi lucida
In fronte centum lumina.
Sed nec trium ſic præfuit vigil Draco
Horto ſororum penſili.
Gembicio vernabat omnis præſtite
Cultura fertilis ſoli,
Honore celſo nauus Antiſtes fuit,
Ceſsêre ei fauſtè omnia.
Superi meo verûm abſtulêre ſtrenuum
Paſtorem ouili, non tamen
Ciebo bella, nec reſiſtam numini.
Maius meretur præmium
Gembicij virtus, & actis amplior
Accreſcet eius gloria.
Effuſiore profluet cornu boni
Wladslauiæ exin copia.
Stipabit Entheum horreum meſses ſacras,
Et nulla terram glarea

Siccabit

Siccabit arescens, laboris maximi
Christi solo crescant opes.
Quin ipse Praesulis secundabit DEVS
Ausus, suos ad exitus
Incepta perduceretque. Nunc agedum nouum
Faustis tali ta vocibus
Antistitem Gembicium, vernantibus
Viamque sparge floribus,
Et vota supplex ad poli mittens globos,
Dic Praesul hic diu imperet.

IN STEMMATA ILLVstrissimi & Reuerendissimi Domini D. Laurentij Gembicki Episcopi Cuiauiensis.

I.

PROTE ipsum Praesul Praelia stemma geret.

Crux intra soleam, vernans rosa, fascia duplex,
Symbola sunt Praesul muneris ampla tui.
Tartareum contra faciunt crucis arma Draconem,
Fatali Haereseos cornua calce feris.
Est nota, flos roseus, virtutis, fascia duplex,
Illatum Stygio vulnus ab angue ligat.
Stemmata, nę miro haec nexu fortuna iugauit,
Pars alijs laudum, his, sed tibi tota venit.

II. Tle-

II.

Telum durissimum.

DVX Helena genitus simul ac cruce signa notauit
  Martia, (quis credat) vis inimica ruit.
Sanguine Amalechi vidit Iudæa natantem
  Campum, implet Moses dum crucis officium.
Fortunata nouo es Wladslauia Præsule, nil iam
  Hoc duce te contra Tartarus ipse potest.
Robore obarmatus ferri, victricia præfert
  Symbola, crux Erebi territat alma Duces.
Stemmata queis fulget Gembicius, omne pauescat
  Flagitium, teter sed magis Hæreticus.

III.

Fortiter aspera calcat.

IN cauto scandunt multi pede culmen honoris,
  Sed fallente gradu desuper ima petunt.
Lubricum iter celsos ad fasces panditur, atque
  Fortunæ ancipiti vertitur axe rota.
Ne dubita solidos Antistes figere passus,
  Crux soleata monet, tutus vt alta petas.
Et crucis, & ferri duplicato robore gaudes,
  Præcipitis lapsus nulla pericla time.

IV.

Vtraque fortuna superior.

MOllia cum duris in te (res mira) iugantur
  Præsul, naturæ eſt non id, at artis opus.
Crux incluſa graui ferro cum flore vireti
  Idalij, vnius ſymbola clara notant.
Nempe duplex munus Gembici Præſulis imples,
  Dum terres prauos, dum recreaſque bonos.
Temperet ô vtinam cæli ſic arbiter auſus
  Præſul amande tuos, nę mihi magnus eris.

V.

IN FASCIAM.

Vſu præſtabilior quam natura

SI quis Achæmenio miretur licia fuſo
  Ducta, vel e Phario lina petita ſolo.
Materiæ vt dedero partes artique priores;
  Sic vſus palmam dat tibi faſciola.
Siue gregis læſi ſunt vulnera dira liganda;
  Hîc primum lini non leue munus erit.
Seu populum in partes coget diſcedere liuor,
  Iunget fæderibus faſcia torta nouis.
Seu quiſquam caulas hoſtili Marte laceſſet,
  Fortia crudelem ſtringere lina valent.

Vnum stemma togæ satis est, Martisque furori,
Et Cleri, & Circi, sunt tua lina decus.

VI.

IN FASCIAM.

Altera alterius laudem cumulat,

FAscia cinge rosam namque huius gloria floris
Et breuis, & curâ sæpe tuendâ graui.
Fasciolæ decus adde rosa, & natura negauit
Quod lino, hoc floris suppeditabit honos.
Sic tibi perpetui florebunt Præsul honores;
Sic honor inuictum robur habere potest.

VII.

IN ROSAM.

Domini radiat fulgoribus.

CErnis vt in nitido sese flore efferat ardor
Igneus, æquatis luxurietque comis?
Vt latè radiat circumque vt lumina fundit?
Vt rosa iactat opes ambitiosa suas.
Quamuis Arctoi stringatur frigore cæli,
Quamuis Riphęas sit propè nata niues.
Crede mihi non hic color est natiuus ab hortis,
Aut honor, a domino sed venit ille suo.

VIII.

IN ROSAM ET SOLEAM.

Vis contra hoſtes potens.

MArte togaque potens proauorum ſtemmata geſtas,
  Hoc ſoleæ atque roſæ ſymbola clara notant.
Nempe Aſtræa ſibi ferro depoſcit honores,
  Eque roſâ pietas carpit odoris opes.
Afflatu moritur floris Scarabæus olentis,
  Ferrea vis hoſtem frangere quemque valet.
Næ Scarabæe putri hæreſeos qui paſcere cæno
  Præſulis aut ferro, aut fuſo ab odore, cades.

IX.

PANTOSTEMMATICON

VT paſſu pietas eat ſoluto,
  Nodoſo eſt tibi faſcia abſque nexu
Præſul, fædifragos Deo, ac rebelles
Porro ſtringere colligata ſuadet.
Hoſtes crux ſoleata veritatis
Calcandos monet, Ibis, ibis audax
Gembiei, hæreticos cruce impetitum,
Et tetras ſcelerum potens phalanges

Christi præsidio fugabis. Atqui
Sic post busta laboris, expetita
Merces obveniet, rosa æuiternæ
Pacis symbolon hoc docet virescens.

DEDICATORIVM.

GRammata Posnæo quæ Musa Helicone calēti
Numine dictauit, maxime Præsul, habes.
Pollice mota leui Aònidûm sunt plectra, sed in te
His, mei amoris erunt symbola clausa, metris.
Accipe, nec tenuis data munera sperne Camenæ,
Parua etiam in magnis dona locare potes.